

tiores Theologos, sententias a Suare traditas, eo ipso quod illum habent auctorem, videri posse probabiles, quia auctoris sunt valde accurati, nec præcipitis, sed maturi ac solidi. Nec desideratur unquam idonea ratio qua sententiam, cui inhæserit, commode stabilit atque communiatur.

Fuit tamen juvenis quidam scriptor, senes, qui ipsius subtilitates arista acutiores non probabat, naso suspendens adunco, eosque hebetudinis et crassitiei mentis incusans; qui cum in cæteris omnibus Suaris sententiis id verum esse lubens agnosceret, unam duntaxat ejus assertionem de confessione epistolari excipiendam censuerit; quasi huic uni doctrinæ a Suare traditæ, nec quantacumque auctoris gravitas, nec rationes quibus eam stabilit, conciliare quiverint probabilitatem. Quanto jure hæc scripta sint, placet excutere, ne per hujusmodi judicium juvenile, tanti viri existimatio apud imperitos deseratur, et nomen in scholis omnibus venerandum, vel ex hoc uno capite obsolescat. Debeo hoc singulari Societatis JESU ornamento; debeo meritis tanti viri erga Ecclesiam, Pontificio præconio non uno eximie celebratis; debeo fluentis doctrinæ, quibus scholas Theologicas et philosophicas copiose irrigavit; debeo (ut de me ipso nominatim agam) fructui quem ex pervolutione scriptorum tanti viri, per annos omnino multos a me perceptum, diffiteri non possum; debeo moribus candidissimis, ac demissioni cum sapientia certanti; in quo pene dixerim (si extimo verborum cortici quis inhæreat) visum iri aberrasse qui dixit: *Scientia inflat*. Hic e contrario, in tanta scientiæ redundantia, virtutum omnium, sed humilitatis maxime, vivum ac spirans delubrum fuit; quod rarum sane scientiæ ornamentum, quale manus addunt ebori decus, aut ubi fulvo argentum pariusve lapis circumdatur auro, notatum in eo, et ab omnibus celebratum recolo, ante annos quinque supra quadraginta, cum Roma reveniret, in Lusitaniam regrederetur. His, aliisque de causis, justissimum mihi est, ne obsolescat tanti viri gloria omni studio conniti, et pro virili satagere.

Quid quod innoxio, et tamen calumniis gravato, qui se tutari ac indemnem præstare nequeat, auxiliarem manum porrigere, si facultas suppetat, astringimur omnes, obligatione charitatis, juxta illud parentis optimæ ad dilectum Samuelem: *Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt*. Mutum posuit pro eo qui pro se loqui non po-

test; *pertranseunt* autem nominat advenas qui fere imbelles sunt, et facilius patent injuriæ; ut hæc sint veluti symbola innoxiorum simul ac non valentium sibi ipsis prospicere, et causam suam agere, quos tutari pro facultate, proque eis loqui, nexu charitatis obstringamur. At de Suaresio, occasione confessionis epistolari, post ejus obitum, cum jam pro se stare non posset, ea gratis sparsa sunt falsa et calumniosa, quæ, nisi abstergerentur, famam tanti Doctoris haud tenuiter inquinarent. Et quamvis illitæ ab Alvare, Nugno, Candido, Cocquetio, Avila, aliisque, sordes videri possent non una scopula detersæ, tamen recens exceptio adversus probabilitatem doctrinæ a Suare hac in parte traditæ, omnes illas maculas manifeste regerit. Adversus hanc ergo exceptionem excipere, eamque non modo absque jure ullo, sed etiam absurde et inconsiderate adhibitam, demonstrando certare, consilium est, quantum arbitrator, minime improbandum.

Nec quod senex ad concertationem cum juvene accingor, desperandum est eventus secundus. Narrat quod Cæsaraugustæ in Hispania accidit, Ludovicus Richeomus, in Valedictione animæ, dissertat. 12. Sub annum Christi 1562, erat viro nobili, caballus alias generosus et optimus, sed tunc præ senio emeritus, et vacationem laborum nactus, cum pabuli gratuiti beneficio. Advecti sunt ex Africa ad illum nobilem leones aliquot. Fuerunt qui urgerent committi cum uno e leonibus, qui admodum generosus videbatur, equum annosum, ægre hujusmodi postulatis annuente viro nobili, quod, tametsi nihil ultra operis ab equo expectabat, antiquam tamen ejus generositatem non dedidicisset; et certo equi exitio congressum ejus cum impare postulari arbitraretur. Dedit tamen denique voluntati et auctoritati poscentium quod volebant, importunitate victus. Dies dicitur, et numerosus magnatum cœtus advocatur. Prior in arenam productus est equus, moxque in idem septum quatuor muris conclusum immisus est leo; quem conspicatus equus inhorruit, de instante sibi fine non dubius. Concedens vero in angulum, ut adventantem magno fastu leonem imminere suis cervicibus vidit, obversis in hostem calcibus, soleam ferream adeo valide fronti ejus inlisis atque infixit, ut non ita multo post inter immanes rugitus efflarit animam. Apodosis est obvia. Verissimum est seni non eandem esse ætatem, non mentem, et prudenter anteoccupandam esse

quietem, sive ex Flacci monito mature solvendum esse equum senescentem, ne ilia ducat, idque ipsum in re litteraria valere adnotabat Gregorius Nyssenus initio orationis de Infantibus, cum jam devexa ætate, ab Jerio ad litterariam exercitationem revocaretur. Tamen possunt etiam qui jam præ senio laborum immunes fuerint, nonnihil de pristina alacritate resumere, nec ludibrium debere juvenibus, si quando præfidenter exultent ac improvide efferantur, ut leo ille docuit.

Ne tamen bestialis fastus dejectio ad invidiam trahatur, certamen paris imparis inter homines subicio. Legi, regnante in Gallia Henrico IV, cum insaniam duellandi nobilitatem Gallicanam fœde occuparet, nobilem Arvernum, multis monomachiis in ætate vegeta clarum, cum a juvene præfidente provocatus esset ad equestrem duellationem, jam annosum et podagra nervos depasta præpeditum, ita defectum viribus, ut ne equum quidem subire nisi inferentibus famulis posset, admisisset duellum conductum. Et cum filii, quos habebat strenuos bellatores, ad certamen pro patre se offerrent, respuisse succedaneos illos accensos, causatum nolle se gloriam in robustiore ætate partam, detrectata in eo annorum sedimento duellatione, profligare. In campum itaque prodiit miserantibus omnibus, et juvenis truculentiam detestantibus, quod eum non puduisset pridem emeritum senem, annis et morbis attritum, ad certam eadem provocare. Sed falsi sunt expectatione, cum, inita pugna, frigidus ante in senilibus præcordiis sanguis recaluit, et juvene tremula senis manu confosso, ferociens vehementia repressa est, altique spiritus prostrati. Rex Henricus IV, a sene victore ultro se sistente, interpellatus de venia, elogium adjecit. Cujusmodi hæc senis gloria fuerit, et quam rite captata, nunc non inquiri; qui meminerim ejus evaniditatem a Hieronymo Osorio, exoptissimi ingenii scriptore, diffuse demonstratam; et breviter, sed valide, ab Augustino, l. 3 de Civit., cap. 14, cujus illa verba sunt: *Nemo mihi dicat: Magnus ille atque ille, quia cum illo et illo pugnavit et vicit; pugnant etiam gladiatores, vincunt et ipsi, habet præmia laudis et illa crudelitas. Sed puto esse satius cujuslibet inertiae pœnas luere, quam talem gloriam querere*. Factum itaque senis non approbo; sed illud in hanc causam advoco, ut juvenes quibus S. Hieronymus, epist. 91 et 92, non persuaserit erga senes modestiam, et qui

Daretem ac Entellum dedidicerint, ex infelici stolidè turbidi juvenis prostratione, discant non despuere canitudinem quasi effœtam, et rubris crinibus Ibero poetæ notatis ludibrium debentem; quod quantam prodat cordis inopiam, alibi prosequor.

CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT CONFESSIO EPISTOLARIS.

Ut huic quæsito satisfiat, duo termini sunt enucleandi: prior est *confessio*, posterior *epistolari*. His enim vocibus rite intellectis, perspicuum erit de quo agitetur controversia.

Confessionis vox quid significet. — *Confessionis* ergo vox (quæ hoc loco arctatur ad usum sacramentalem), dimissis aliis extraneis ejus notionibus, de quibus Pamelius, ad epist. 9 S. Cypriani, et Baron., in Notis ad Martyrol. 2 januarii, littera H, aliquando sonat integrum sacramentum pœnitentiæ, aliquando autem solam ejus partem materialem externam, pœnitenti cum primis gravem, qua cor circumciditur, id est, quod in eo turpe est ac pudendum, retegitur homini, Dei vice judicanti, ut propterea Lactantius, l. 1 Instit., c. 17, circumcisionem symbolum fuisse sacramentalis Christianæ pœnitentiæ observet. Synecdochice itaque nomen *confessionis* totum sacramentum pœnitentiæ designat; nec aliquid est Catholicis frequentius, quam dicere se accedere ad confessionem, vel obire velle sacramentum confessionis. Estque id adeo receptum in Ecclesia jam olim, ut S. Augustinus, serm. 48, de Tempore, adactus fuerit dedocere Afros suos ne existimarent, quoties Scriptura meminit Confessionis et ad eam hortatur, agi de sacramento pœnitentiæ, ut rudes illi arbitrabantur; qui cum S. Pater inter concionandum protulisset *confitendi* aut *confessionis* vocabulum, illico tutuderant pectora, rati sermonem esse de sacramento pœnitentiæ. Propria sane hujus sacramenti appellatio est *sacramentum confessionis*, eamque appellationem præfert Durandus, in 4, d. 14, q. 1, num. 5, nolens dici *sacramentum pœnitentiæ*, sed *sacramentum confessionis*, quod tamen non probavit Andreas a Vega, l. 13 in Conc., c. 14, qui mavult hoc sacramentum vocari *sacramentum pœnitentiæ*, quia nomen *pœnitentiæ* funditur ad omnia ex parte pœnitentis intervenientia ad hoc sacramentum, non item confessio. Sed ad rem præsentem sufficit

quod ab hoc uno pœnitentis actu, plerumque totum sacramentum denominetur *confessio*, vel *confessionis sacramentum*.

Confessionis vox arctatur aliquando ad solam sacramentalem expressionem peccatorum. — Exomologesis quid.—Quod autem aliquando vox *confessionis* arctetur ad solam sacramentalem expressionem peccatorum, est extra dubium. Imo hic est maxime proprius vocis usus, qui per synecdochem laxatur, cum ea vox ad totius Sacramenti significationem extenditur. Nec dissimiliter apud Græcos nomen *exomologeseos*, quod aliquando pro integro sacramento usurpatur, solam quandoque peccatorum refectionem sacerdoti factam designat, et quidem maxime proprie, ut apud Suidam videre est verb. *ὁμολογία*. Quod autem vox *exomologeseos*, universum pœnitentiæ sacramentalis ministerium sæpe complectatur, manifestum est ex Tertulliano, lib. de Pœnitentia, c. 9. At quod alias nomen illud cadat tantum in externam peccatorum expositionem apud sacerdotem, liquet ex illis verbis Tertulliani, l. de Orat., cap. 6: *Exomologesis est petitio veniæ, qua qui petit veniam, delictum confitetur*. Sanctus item Cyprianus, qui Tertullianum solet exprimere, lib. de Lapsis, num. 98, eodem modo usurpat *exomologesim*, cum ait: *Apud sacerdotes Dei, dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientie faciunt, animi sui pondus exponunt*. Item habetur ex Diadocho, lib. de Perfectione, cap. 100. Liquet de duplici notione vocis *confessio*, quam priore loco enucleandam susceperam.

Duplex notio hujus vocis epistolaris.—Vox posterior, nempe *epistolaris*, duplici item notione fœta est. Nam inhærendo extimo cortici vocabuli, sonat expositionem factam absenti, intervntu litterarum, sive *epistolæ*, qua homines, qui semper sibi adesse non possunt, artificio plane mirabili, loquuntur manibus, ut ait Gregorius Nyssenus, libr. de Homil. opif., capit. 8. Exaratam enim manu chartam transmittentes, sensa animi sui aperiant procul dissitis; quod S. Basilius, epist. 55, quæ est ad S. Ambrosium præclare suspicit, et ipse S. Ambrosius scribens ad Sabinium, epist. 41 et 45, ac S. Hieronymus, epistol. 43, quæ est ad Niceam Aquileiensem, nec non Julianus Apostata scribens ad Eugenium philosophum. Quod ergo charta, sensis mentalibus scribentis gravida, ad alium transmittatur, inde ejusmodi charta, a verbo Græco *ἐπιστέλλω*, quod *mittere* significat, dicitur *epis-*

tola, id est, *missa*, ut interpretatur S. Isidorus, lib. 6 Orig., c. 8; vel *missiva*, ut loquitur Cassiodorus; et ita cum Errico Puteano observavit Hermannus Hugo, lib. de Prima scrib. orig., c. 13. Unde *γραμματέφοροι*, ut Græci appellabant (hoc est, qui ex officio litteras gerebant), dicti *missi*, aut, ut apud Festum, *gerones*, vel *mittendarii*, ut loquitur Theodoricus, apud Cassiodorum, libro 4. Quanquam postea vox *missi* extensa est ad quemcumque a principe ablegatum, etiamsi non esset merus gero litterarum; ut sæpe habetur in Capitularibus, et Pithæus inibi in Onomastico annotavit. Idem est de voce *missatici*, quæ sæpe occurrit in Flodoardo, nominatimque l. 2 Histor. Rom. Eccl., c. 18 et 19, et l. 3, c. 26 ac 28. Sicut etiam vox *mittendarii* ad milites Palatinos est aptata, ut videre est lib. 3, 7 et 8, Cod. de palat. sacr. largit., notatque Connanus, l. 4, c. 15, n. 4. Juxta hanc ergo *epistolæ* notionem, *confessio epistolaris* ea dicitur quæ est transmissa ad sacerdotem absentem, datis ad eum litteris continentibus exarata pœnitentis peccata.

Varie rationes occultæ invisibilis scriptio- nis.—Verum, quia epistola chartacea, aut cuicumque alteri inaniam materiæ commissa, patet curiositati eorum in quorum manus potest incidere, et resignari ac perlegi, variæ excogitatae sunt rationes, occultæ aut etiam invisibilis scriptio- nis; sive ratione materiæ occultæ cui includuntur vel inscribuntur epistolæ, sive occultatione tabellariorum aut itineris quo transmittuntur, sive ratione materiæ qua efformantur characteres, sive artificiosa transpositione litterarum, sive adhibitione notarum atque zifrarum pro litteris; de quibus omnibus occultandæ scripturæ modis ad avertendos curiosos oculos excogitatis, luculenter Hermannus Hugo, laudati operis de Scribendi origine, cap. 15, 16, 17, 18. Neque tamen adeo sufficienter his viis prospectum est securitati occultationis arcanorum, quorum conscii faciendi sint absentes, quin curiosi sæpe pervadant ad latebras tam affabre occultatæ transmissionis. Nam sagacitas humana non raro per omnia illa rudibus inaccessa se infert, et quævis materiæ aut rationis scribendi adita penetrat. Itaque in rebus gravissimis, quas plane impervias esse et inexploratas oporteat, adhibentur litteræ vivæ. Sic voco internuncium fidum, non cujus corpori inscribantur characteres, ut factum est in inscripto mancipii capite, sub capillis primum rasis, ab Histieo, apud Polyænum, lib.

1, et Gellium, lib. 17, cap. 9. Et faciendum etiam auctor erat Naso, cum diceret:

*Hoc caveat custos, pro charta conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat.*

Non igitur hæ sunt quas voco *litteras vivas*, usquequaque curiosis inexploratas; sed quibus arcanum ore tenus committitur, fido internuncio ac secreti tenaci, quem nulla ars vel vis humana ad secretum pandendum possit adigere. Quis enim fidi hominis, cui arcanum tuum credideris, pectus aperiat, si is reserare renuat? Nulla humana curiositas, quibusvis instructa clavibus, aut armata minis, vel securibus, eo penetrat. Testis [Attica metrix, quæ, juxta Tertullianum, cap. 50 Apostol., carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam, in faciem tyranni sævientis expuit, ut expueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset]; quod item a Zenone Eleate factum, ne fides arcani commissi inter tormenta vacillaret, scribit Laertius. Itaque quantum libertas humana est insuperabilis cuicumque creatæ virtuti (ut propterea libertatem Antonius, lib. 8 de Vita sua, n. 41, *arcem munitissimam* nominet, *cujus*, ut lib. 11, num. 30, ex Epicteto ait: *Nemo esse latro potest*), tantum securitatis est in arcano litteris hisce vivis commisso, si internuncius ipse non se resignet atque recludat.

Hinc habetur, præter secundi generis confessionem epistolarem veluti emortuam, quæ fit per apices chartis commissos, dari aliam viva epistola comprehensam, quæ scilicet fit per internuncium, cui viva voce relatu- ro pœnitentis peccata, et voluntatem consequendi de eis suo tempore absolutionem, committatur absque scripto ministerium prædictum. Hæc tamen confessio per epistolam vivam, non nisi materialiter differt a confessione sive expressione peccatorum, epistolæ inanimæ commissa; et plane eodem modo de utraque hac epistolari confessione est pronuntiandum, quoad validitatem aut honestatem.

CAPUT II.

QUOD CONFESSIO SUMPTA PRO INTEGRO PŒNITENTIE SACRAMENTO EPISTOLARI ESSE NON POSSIT, CERTA SENTENTIA.

Ferendum est judicium de duplici confessione epistolari superius proposita; nempe

et de ea qua integrum sacramentum fieret per litteras, et de ea qua expressio sola peccatorum litteris fieret, quamvis absolutio et consummatio sacramenti non fieret per litteras, sed viva voce obiretur inter sacerdotem et pœnitentem præsentem. Priorem confessionem nunc expediam.

Referuntur auctores qui integrum pœnitentiæ sacramentum confici posse per epistolam censuerunt.—Integrum ergo pœnitentiæ sacramentum confici posse inter absentes, per epistolam vivam aut mortuam, multorum veterum fuit sententia; ita enim visum esse referunt Alexandro Alensi, p. 4, q. 77, membro 4, art. 5, § 9, sed ibi nihil invenio. Idem sensit Richardus in 4, d. 17, art. 2, q. 5; quamvis enim talem confessionem negat esse necessariam, supponit tamen esse utilem. Subscripsit Adrianus in 4, tr. de Confessione, § *Sed igitur*, et alii apud Scortiam, in Constitutiones Pontificum, Theoremate 404, sed et plerisque Theologis in Concilio Basiliensi non displicuisse eam doctrinam, testatur S. Antoninus, 3 p., tit. 5, c. 12 et 21, ac Sylvester verbo *Confessor* 3, et alii.

Prætermisiss autem multis obscuris nominibus, quæ pro hac sententia adduci possent, fuere in ea plerique magni nominis Thomistæ, ut Paludanus in 4, d. 17, quæst. 2, art. 1; Petrus de Tarentasia (postea Innocentius V), in summa de Confessione, quem adducit et sequitur Raynerius in Pantheologia, part. 1, tractatu de Confessione, c. 9: sanctus Antoninus, 3 part., tit. 14, c. 19, § 9, et tit. 17, cap. 12 et 21; auctor Margaritæ Confessorum, cum agit de modo quo debet fieri confessio; Turrecremata, in cap. *Quem pœnitet*, de Pœnitent., dist. 1, art. 2; Sylvester, verbo *Confessio* 1, quæst. 15, et verbo eodem 3, et verbo *Confessor* 4, § 6; Fumus, verbo *Confessio*, n. 23; Tabiena, eodem verbo, num. 34; Petrus Soto, lect. 11 de Confessione; M. Penna, apud Henricum, lib. 2, c. 2, § 7, in eventu absolutionis collatæ præsentem, absque jurisdictione, postea comparata cum jam procul abest pœnitens, qui putetur bene dispositus. Omnes hi auctores fuerunt ex S. Dominici familia, in qua hanc sententiam primum ortam esse et ibidem adolevisse, ac denique in ejusdem familiæ sinu extinctam atque sepultam esse, dixit Fagundez, lib. 2, in 2 Eccles. præcept., c. 10, num. 4, quibus nobis bilem concivit Petro Fay, Ordin. Prædicat., in addit. ad 3 part., disput. 3, et ex multo lenioribus quæ leguntur apud Ægi-